ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE

FESTVM SECVLARE PROPEDIEM CELEBRATVRAE

CONGRATVLATVR

ACADEMIA VRATISLAVIENSIS.

INSERTA EST EDVARDI HVSCHKE AD LEGEM XII TAB. DE TIGNO IVNCTO COMMENTATIO.

VRATISLAVIAE,
TYPIS GRASSII, BARTHII ET SOCIORVM.

MDCCCXXXVII.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE

PROBECTORI ET SENATUI

S.

ACADEMIA VRATISLAVIENSIS.

Si singuli homines, secularem metam circumvecti, ter quaterque beati praedicari solent eo, quod, omnes vitae cursus emensi, ipsum prope fatum singulari felicitate vicisse videntur, multo certo potiori iure, si eadem felicitas rebuspublicis aliisve universitatibus contigerit, in laetissimis id eventis numerandum est. Nam illis haec non est sincera voluptas: quippe id habet admixtum tristitiae, quod deficientium virium sensus et appropinquantis fati cogitatio afferunt. At his, quibus seculum non finis sed legitima vitae mensura est, ita peracti gloria cursus perfrui licet, ut non consenuisse sed adolevisse videantur et ex eo ipso, quod omnibus quasi infantiae periculis superatis secundum aetatis gradum attigerint, etiam maioris ac paene infinitae futurae salutis faustum augurium capere possint. Et quas hoc potius in universitates cadat, quam quae literis excolendis, humanitati propagandae, adolescentiae denique ad omnes bonas artes instituendae dicatae sunt?

Quum igitur Vestrae academiae, Viri amplissimi, bono favente Deo, seculum hoc anno explere contingat, merito laetamini, merito diem tam rarum tamque sua natura festivum insigni festivitate celebrare instituistis. Neque tamen huius festi si solennitas certum sibi locum vindicat, etiam laetitia Vestri coetus septis circum-

scribi aut debet aut potest. Haec enim ultro manat per omnes patriae Vestrae et urbes et ordines, qui quid academiae suae debeant, ante oculos positum habent, peragrat totam Germaniam, cui Georgia Augusta, ex quo condita est, semper in primariis ornamentis fuit; imo ne Germaniae quidem finibus continetur, sed per totum orbem, quatenus humanitatis studia in honore sunt, diffunditur. Quis enim ubique gentium est, nisi plane ab humanitate alienus et in artium historia peregrinus, quin, si Georgiae Augustae his centum annis quae fuerint de omnibus bonis artibus merita, animo reputaverit, sive tantum longam virorum in quovis literarum genere excellentium seriem, quibus haec Musarum sedes inclaruit, memoria repetierit, hunc diem, tot bonorum prope universo generi humano datorum recordationem complectentem, albo calculo notandum, Vestrumque gaudium sibi participandum reatur?

Sed inprimis in hanc laetitiae societatem ceterae Germaniae academiae vocari videntur, non modo communi humanitatis et interiori patriae, verum etiam quasi domestico consanguinitatis vinculo talique vitae consortione inter se et Vobiscum iunctae, ut quicquid una secundarum vel adversarum rerum experiatur, idem etiam ceterae sentire

videantur. Quapropter nos committere noluimus, ut die tam laetabili Vobis illucescente, nos in sinu tantum, ut aiunt, gauderemus; sed cum ipsi Vestris gaudiis interesse non possimus, saltem per epistolam, quantopere Vestram fortunam ad nos pertinere existimemus, publice Vobis significare placuit. Eamque quo lubentius reciperetis, quum civi quondam Vestro, nunc nostro, Ph. Eduardo Huschke, ut quodcunque harum nobis communium literarum argumentum tractans, commentationem in honorem Vestri diei scriberet huic epistolae subiiciendam unaque transmittendam, auctores fuimus, tum legatos, qui utrumque perferrent, et voluntatem erga Vos nostram etiam coram Vobis significarent, mittere decrevimus. Haec igitur consilia ut Vobis, Viri amplissimi, grata sint, optamus.

Postremo ut, qua felicitate hucusque usi estis, ea Vobis in posterum propria sit atque perpetua, in votis habemus. Neque id tantum volumus, sed etiam ita factum iri, speramus et argumentis haud incertis augurari nobis videmur. Primum enim omne quod excellit, etiam fortunam ad se inclinare consuevit. Deinde Vestra academia quum hoc primum stadium per tempora interdum periculosissima multisque aliis academiis exitialia fortiter evicerit, eo ipso (ut iam diximus) indolem

generosam multaque secula spondentem prodidit. Tandem hoc quoque quasi boni ominis loco Vobis divinitus datum volumus, quod hoc ipso in tempore, quo alterum Vestrum seculum inituri estis, ex eadem augusta domo, cuius Principes absentes et alterius regni sollicitudine districti, tanta cum cura, sapientia et munificentia Georgiae Augustae suae prospexerunt, Regem Rectoremque Vestrarum rerum praesentem ac proprium nancisci Vobis contigit. Cuius regnum etiam in Vestris rebus ut felix fortunatumque sit, ex animo optamus. Valete.

Dab. Vratislaviae Kal. August. MDCCCXXXVII.

VI

AD LEGEM XII TAB. DE TIGNO IUNCTO COMMENTATIO.

Inter XII tabularum leges, quae aetatem tulerunt, haud scio, an alia nulla tam exercuerit interpretum ingenia, quam quae a Festo refertur his verbis:

> *Tignum non solum in aedificiis quo utuntur, appellatur, sed etiam in vineis, ut est in XII: Tignum iunctum aedibus vineave et concapu ne solvito.*

Pertinere eam ad actionem de tigno iuncto, quod ipsum exhibendi gratia eximi vetuerant Decemviri, omnes viderunt. Apertissime id docebant cetera antiquitatis monumenta, quae de hac re supersunt: L. 1. D. de tign. iunct. (47, 3). L. 98. § ult. D. de solutt. (46, 1). L. 23. § 6. D. de rei vind. (6, 1). L. 6. D. ad exhib. (10, 4). L. 63. D. de donatt. inter vir. (24, 1). L. 7. § 10. D. de aeq. rer. dom. (41, 1). § 29. I. de rer. divis. (2, 1). At quid significat illud *et concapu,* quod est in vulgatis codicibus, sive *et concapit,* quod Daccrianus, *et concapet,* quod codex a Jos. Scaligero, Cuiacio et A. Augustino collatus exhibet? Hoc est quaesitum, in hoc haesitatum. Nolo ego hic horrea compilare Dirksenii V. Clar., qui etiam de hoc loco quae sunt prolatae sententiae, in libro de XII tabulis doctrinae pleno [1]) non modo congessit studiose, sed etiam luculenter digessit.

1) Übersicht der Vers. zur Krit. und Wiederherst. der Zwölftafelges. p. 437 - 443. Sed ne hic quidem omnes omnium opiniones relatae sunt. Adi praeterea Westenberg. Diss. VI de

Potissima tamen nodi solvendi pericula hucusque facta iam ea de causa sunt afferenda, ut appareat, neminem dum vero invento hanc operam nostram irritam reddidisse.

Itaque Jos. Scaliger in Not. ad Fest. l. c. legere iubet: *Tignom iunctom aedibus vineaeque concapes nei solvito*, verbum alias inauditum *concapes*, quod casce pro *conceps* positum vult, aliorum similitudine defendens et vineae concapes interpretans: depactum ac defixum terrae ad vineam sustinendam, ideo sic dictum, quia habeat caput suum cum capite vineae commissum. Quae coniectura nisi a summo philologo maxima cum fiducia, ne dicam confidentia, esset prolata [2]) et quae ceteri proponebant, multo minus se commendassent, dubito, an tot tantisque viris probata esset. Primum enim voculam *et* ante *concapet* (quod in suo codice Scaliger legebat) omnino eiicere, et novum vocabulum coniectura fingere, utrumque prudenti critico religioni esse debet. Deinde vereor, ne illud ipsum vocabulum parum apte ad id, quod eo significari Scaliger vult, sit compositum. Nam caput vineae vitis radix vel potius stirps ac truncus cum radicibus ideo appellatur, quod hac velut vitae scaturigine crescens vinea et in complures palmites spargi solita tota contineri videtur, [3]) qua ratione etiam fontem caput aquae, quae per rivos inde fluit, dicere solemus. Unde apparet, pedamenti, quod crescere non potest, nec caput appellari posse. Immo ipsum pedamenti nomen, quod a pedibus dictum est, ostendit, totam ridicam sive palum, (his enim fere pedatio fieri

---

cans. obligat. c. 1. Opp. ed. Jung. Tom. II. p. 125 seqq. Bernh. Joh. v. Harskamp D. de tign. iunct. c. 2. in Oelrichs nov. thesaur. diss. Belg. Vol. II. Tom. I. p. 431 seqq. Greg. Maians. Disput. iur. 48.

2) His verbis praemunit interpretationem suam Scaliger: *Primae notae grammatici multa studiose in huius loci interpretationem contulerunt; sed omnes, quod libere dicam, peccarunt priscae Latinitatis non dicam ignorantia sed oblivione.* Denique re exposita et, quasi iam irascentibus Mosis, de *arboribus grandiscapiis* apud Senecam (ep. 86) insigni errore (ut omnes consentiunt) admisso, ita recalcitrat: *Quod si quis non capit, quid ei cum XII tabulis ac Romana antiquitate? Sane huic generi hominum ego haec non scribo.*

3) Quamobrem etiam cuiuscunque arboris caput dicitur. Cat. de re rust. 30. 33. 36. 51. Columell. de re rust. 3, 10. 4, 2. 17. 21. 24. Plin. H. N. 17, 22 (35).

solebat) vitibus velut pedum, quibus suffulcirentur, officium praestare visum esse, quare conceps vineae esse, h. e. iunctum cum ea caput habere, omnino dici non poterat. Accedit denique, quod iam J. Gothofredum offendit, vocem *vineaeque* necessario ad *tignum iunctum* referendam esse, quia Festus eam ipsam ob causam, ut tignum non solum id, quo in aedificiis utuntur, sed etiam in vineis, appellatum esse ostenderet, verba XII tabularum affert. Et parum adiuvat Scaligerum, quod Dirksenius contra Gothofredum disputavit, vocem *conceps* ex illius sententia non substantivum sed adiectivum ad tignum pertinens verbum esse. Quamquam enim Scaligerana opinio a Festo hoc modo salva praestatur, restat tamen Ulpiani locus, [4]) qui de tigno aedibus vel vineis iuncto in XII tabulis cautum esse testatur, ut appareat, etiam verbum *iunctum* ad *vinea* pertinuisse.

Caeterae coniecturae omnes (unam excipio, de qua post) partim nimiae audaciae partim etiam sensus, qui desideratur, haud praestiti vituperationem incurrunt. Ad prius genus refero, ut paucis exemplis defungar, Turnebi (Advers. 13, 27) correctionem: *ne vendicato neve solvito,* item Bosii (ad Cic. ep. ad Attic. 1, 19): *e compage ne solvito.* Ad posterius A. Augustini (ad h. l.) et A. Contii (Opp. p. 270): *vineaeque et capulo ne solvito;* quid enim capulus, res mobilis, cum aedificio et vinea commune habere potest? Item J. Gothofredi (Quat. font. i. c. in Otton. thes. Tom. III. p. 173): *ne concape et ne solvito;* nam concapere i. e. deprehendere rem sibi ablatam vetari non poterat, cui lex in duplum adversus eum, qui iunxisset, actionem dabat. At enim vero hunc sensum ipse Gothofredus non voluit. Sed quem voluit: ne vindicaretur tignum, cum verbis illis inesse, non probavit; quamvis enim verum sit, rem apprehendendo vindicari solitum esse, nunquam tamen haec apprehensio, nedum ipsa vindicatio, conceptionis vocabulo appellata est, ut taceam, absurdum esse, primo vindicare, deinde solvere vetare, siquidem nondum solutum neque naturali neque civili ratione vindicari potest. Frigidior etiam est Greg. Maiansii (Disp. iur. 48 num. 4)

---

4) L. 1 pr. D. de tign. iunct. (47, 3). *Lex XII tabularum neque solvere permittit tignum furtivum aedibus vel vineis iunctum, neque vindicare.*

coniectura, quam ideirco commemoro, quod **Dirksenii** sollertiam fugit. Is legit: *vineaeque et concapi ne solvito:* concapem explicans per vitis progeniem sive ulteriores palmites, sed ut hunc sensum ex Latinitate nobis probet, parum sollicitus. [5]) Et si probasset, quid attinebat, lege de propagine vitis nominatim cavere, cum omne pedamentum potissimum latius serpentibus vitis flagellis inserviat?

Verum iam diutius, quam constitueram, in aliorum sententiis refellendis immoratus sum. Veniam igitur tandem ad meam coniecturam proponendam, quam certe a modestia commendabilem visum iri, spero. Puto enim, una tantum litera addita, altera leviter immutata, ita legendum esse:

*Tignum iunctum aedibus vineave, **sei** concapit, ne solvito.* [6])

Et hoc ipsum, quod restituimus, quam facile in corruptelam abire potuerit, nemo non videt. Librarius enim, scripturam antiquam *sei* pro *si* non intelligens, elementum *s* omiserat, deinde *i* in *t* abiit, partim figurae similitudine, partim quod *ei* etiam ineptius videbatur quam *et:* ita vitium contractum, quod tamdiu doctos viros torsit. Tantum de verbis. Ad sententiam quod attinet, eadem ferme efficitur, quam iam **Cuiacius** (Obs. 23, 19) assecutus erat coniectura meo iudicio priorum omnium optima: *et concapitum ne solvito,* ut mirer, tantum virum, specie Scaligeranae doctrinae deceptum, postea grana sua discipuli paleis permutasse, [7]) nisi hoc eum movit, quod ineleganter et contra usum loquendi Decemvirorum *iunctum* et *concapitum* coniunguntur, cum *iungere* sit aedificantis,

5) Affert quidem priscam vocem *procapis*, quae *Paulo* ex *Festo* notante, progeniem ab uno capite procedentem significat. Sed hoc ipsum ostendit, *concapem* idem significare non posse.

6) Pro *vineae,* quod plerique omnes scripserunt, retinui *vinea.* Nam et cum ablativo copulari vocem *iungere,* constat veluti ex **Cic.** de orat. 2, 58. *Insignis improbitas et scelere iuncta.* Brut. 44. *Defensione iuncta laudatio.* **Virgil.** Aen. 7, 724. *Curru iungere equos. Concapet,* quod plerique, qui *concapit* intelligunt, quaesita elegantia tuentur, mea sententia fortasse ne rectum quidem est. Nunquam enim in tertia persona indicativi praesentis tertiae coniugationis *et* pro *it* legere me memini. In perfecto sane legitur, primum in columna Duilii rostrata, velut *exemet, cepet, ornavet,* hoc tamen quoque magis pro cognatione, quae in loquendo intercedit inter literas *e* et *i*, quam quod semper tunc ita scripserint. Ceterum etiam *concapit* in MSS. exstare, iam monui.

7) Id quod fecit Paratitl. ad Pand. 47, 3.

quicum agitur, *concipere* tignum suum quaerentis, qui agit. Q ıa ratione nostra lectio longe praestat Cuiacianae. Sensus enim est: si quis tignum (suum alieno) aedificio vineave iunctum concipit sive invenit, ne id solvito, h. e. neque ipse eximito, neque ut eximat alter, cogito. Et hoc fuisse in XII, praeterquam Ulpiani verbis L. 1 pr. D. de tign. iunct. *sed in eum, qui convictus est iunxisse, in duplum dat actionem*, etiam alio reconditiori argumento probatur. Sed hoc iam longiorem tractatum desiderat.

Si locos, in quibus actio de tigno iuncto commemoratur, lustramus, mirum est, quod interdum rei persecutionem continere, interdum furti nomine data esse videtur. Ad priorem rationem haec loca scripta sunt: Paulus lib. 15 Quaestionum L. 98. § ult. D. de solut. (46, 3) *Denique lex XII tabularum tignum aedibus iunctum vindicari posse scit, sed interim id solvi prohibuit, pretiumque eius dari voluit.* Idem lib. 21 ad edictum. L. 23. § 6. D. de rei vind. (6, 1) *Tignum alienum aedibus iunctum nec vindicari potest propter legem XII tabularum, nec eo nomine ad exhibendum agi, nisi adversus eum, qui sciens alienum iunxit aedibus, sed est actio antiqua de tigno iuncto, quae in duplum ex lege XII tabularum descendit.* Idem lib. 14 ad Sabinum. L. 6. D. ad exhib. (10, 4) *Gemma inclusa auro alieno vel sigillum candelabro vindicari non potest; sed ut excludatur, ad exhibendum agi potest; aliter atque in tigno iuncto aedibus, de quo nec ad exhibendum agi potest, quia lex XII tabularum solvi vetaret, sed actione de tigno iuncto ex eadem lege in duplum agitur.* § 29. I. de rer. divis. (2, 1) *Cum in suo solo aliquis ex aliena materia aedificaverit, ipse dominus intelligitur aedificii, quia omne, quod inaedificatur, solo cedit. Nec tamen ideo is, qui materiae dominus fuerat, desinit eius dominus esse, sed tantisper neque vindicare eam potest, neque ad exhibendum de ea re agere, propter legem XII tabularum, qua cavetur, ne quis tignum alienum aedibus suis iniunctum eximere cogatur, sed duplum pro eo praestet per actionem, quae vocatur de tigno iniuncto (appellatione autem tigni omnis materia significatur, ex qua aedificia fiunt): quod ideo provisum est, ne aedificia rescindi necesse sit, sed si aliqua ex causa dirutum sit aedificium, poterit materiae dominus, si*

non fuerit duplum iam consecutus, tunc eam vindicare et ad exhibendum de ea re agere. Qui locus paene ad verbum desumptus est ex Gaii lib. 2 rerum quotidianarum et iteratur L. 7. § 10. D. de acquir. rer. dom. (41, 1), nisi quod verba *per actionem, quae vocatur de tigno iniuncto,* et postea *quod ideo provisum est, ne aedificia rescindi necesse sit,* denique illa: *si non fuerit duplum iam consecutus* ibi desunt. His igitur locis inspectis ad opinandum ducimur, actionem de tigno iuncto, quasi in locum actionis ad exhibendum succedentem, in rem scriptam esse et rei persecutoriam sive, si mavis, mixtam, in qua utrum tignum sit furtivum necne, utrum is, qui possideat, ipse sciens iunxerit, an aedificium innexo tigno bona malave fide emerit, nihil intersit et duplum, quod praestatur, pro ipso tigno domino eius ita detur, ut id consecutus postea solutum tignum vindicare non possit.

In aliis locis e contrario omnia in hac actione ad furti crimen referri videntur. Ipse titulus de tigno iuncto in Digestis (47, 3) ita locatus est, ut titulo de furtis subiectus ab aliis titulis ad eandem materiam spectantibus excipiatur. Eoque in titulo Ulpianus lib. 37 ad edictum scribit L. 1. pr.: *Lex XII tabularum neque solvere permittit tignum furtivum aedibus vel vineis iunctum neque vindicare: quod providenter lex effecit, ne vel aedificia sub hoc praetextu diruantur, vel vinearum cultura turbetur; sed in eum, qui convictus est iunxisse, in duplum dat actionem.* § 2. *Sed et ad exhibendum danda est actio; nec enim parci oportet ei, qui sciens alienam rem aedificio inclusit vinxitve* [8]; *non enim sic eum convenimus, quasi possidentem, sed ita, quasi dolo malo fecerit, quo minus possideat.* Idem lib. 42 ad Sabinum L. 2. D. eod. *Sed si proponas tigni furtivi nomine aedibus iuncti actum: deliberari poterit, an extrinsecus* [9] *sit rei vindicatio? Et esse non dubito.* Hic audis, legem XII

8) Omnino legendum *iunxitve,* quod a *vinxitve* in codicibus MSS. discerni vix potest; nisi cum *Haloandro* malis *iniunxitve.*

9) *Extrinsecus* posterior Latinitas pro *praeterea* usurpavit, velut Eutrop. 9, 25. *Pulso Narseo castra eius diripuit, uxores, sorores, liberos cepit: infinitam extrinsecus Persarum nobilitatem, gazam Persicam copiosissimam.* Apud Ulpianum tamen potius valet: ex alia causa, ex alia

tabularum ad tignum furtivum pertinere, actionemque de tigno iuncto adversus eum, qui iunxisse convictus sit, h. e. apud quem tanquam furem res concepta sit, dedisse, et ita dedisse, ut poenam dupli ab eo exigat, quamobrem etiam exacta ea poena ipsius tigni nomine aut antequam solutum fuerit, ad exhibendum agi, vel etiam vindicari tanquam ab eo, qui dolo desierit possidere, aut solutum rei vindicatione peti posse. [10])

Nisi igitur omnia me fallunt, duae nobis doctrinae de hac actione a Justiniano traditae sunt, eaeque non modo male, sed ne omnino quidem inter se conciliatae, altera Gaii et Pauli, altera Ulpiani. De Ulpiano non dubitabis; in omni enim disputatione sibi constat. De alteris duobus scrupulus iniici potest. De Gaio, quod verba illa in Institutionibus: *si non fuerit duplum iam consecutus,* quae in Digestis non exstant, a Triboniano possint videri inserta. At etiamsi hoc accipiamus, tamen cetera, quae utrobique leguntur, iam sufficiunt, ut Gaius in eadem qua Paulus sententia stetisse dicendus sit; non solum enim de *tigno alieno* (haud de furtivo) loquitur, sed etiam duplum *pro eo* praestari vult. Verum tamen nec dubitandum puto, quin verba illa vere sint Gaiana nec tam in Institutionibus adiecta, quam in Pandectis omissa. Neque enim Gaio indigna, neque ab orationis tenore aliena sunt, neque si ius pristinum mutandi consilium fuisset, cur in Institutionibus potius, succincta iuris expositione, quam in Digestis adderentur, causa erat. At omissa sunt in Pandectis hac optima de causa, quod eorum conditores, alioqui discidium futurum esse inter hunc locum et L. 2. D. de tign. iunct. [11]), animadverterant; qua prudentia vel doctrina

---

iuris parte; nam actio de tigno iuncto veniebat ex facto iunctionis, rei vindicatio ex dominio eaque edicti parte, qua etiam qui dolo desiissent possidere, conveniri possent.

10) Cf. L. 23. § 7. D. de R. V. (6, 1). L. 7. § 2. D. de exc. rei iud. (44, 2). In L. 2 cit. Ulpianum de utraque vindicatione, et quae contra eum, qui tignum iungendo dolo desiit possidere, et quae contra tigni soluti possessorem instituitur, sensisse credo. De actione vero ad exhibendum Ulpianum sic statuere, ut per eam tigni pretium etiam duplo iam praestito consequamur, ex verbis *nec enim parci oportet* etc. patet.

11) Aliquid discordiae sane in verbis illis: *sed duplum pro eo praestet* relinquebatur; sed hoc sollicitos habere non poterat Digestorum compositores, quorum Latinitas ea verba ut sic in-

cum non essent, per quos **Justinianus** Institutiones componi iussit, [12]) commiserunt, ut Institutiones hac parte revera cum Pandectis pugnarent, in qua pugna dirimenda omnes hucusque, quoniam originem eius perspectam non haberent, frustra desudarunt. Sed de hoc postea.

Dixi, etiam de **Paulo** haesitari posse, an is ubique in eadem perstiterit sententia. Nam L. 63. D. de donat. int. vir. et uxor. (24,1) ex libro eius tertio ad **Neratium** haec leguntur: *De eo, quod uxoris in aedificium viri ita coniunctum est, ut detractum alicuius usus esse possit, dicendum est agi posse, quia nulla actio est ex Lege XII tabularum, quamvis Decemviros* [13]) *non sit credibile de his sensisse, quorum voluntate res eorum in alienum aedificium coniunctae essent.* ***Paulus*** *notat: Sed in hoc solum agi potest, ut sola vindicatio soluta re competat mulieri, non in duplum ex Lege XII tabularum; neque enim furtivum est, quod sciente domino inclusum est.* Recte hic corrigit **Paulus Neratium**, arbitratum, ut verba eius sonant, de pretio tigni, quasi consumptae rei, qua maritus locupletior factus sit, uxori condictitiam actionem competere. Condictio enim non est nisi eius quod nostrum non est, vel, ut subtilius definiam, quod ita nobis abest, ut nunquam ex pristina causa nostrum esse dici possit. Id vero in tignum aedificio alieno iunctum non cadit, quod diruto aedificio postliminio reversurum et ius pristinum recepturum est, unde dominium

---

telligerent ferebat: duplum pro eo re, pro eo facto, praestet, qua ratione ceteris Digestorum locis non repugnant.

12) **Theophilus** et **Dorotheus** et ipsi quidem erant in XVI viris Pandectis condendis, sed et Institutionum componendarum negotium eos distinebat et excusabat ab intentiore cura Pandectis adhibenda, et ipsa materia de tigno iuncto, in extrema operis parte, quam antecessores non interpretabantur, collocata, iis haud familiaris videtur fuisse. Quid? si tum, quum Institutionum negotio a Pandectis avocarentur, horum extremae partes nondum absolutae fuerunt? quod saltem existimat, nec sine ratione **Blum.** über d. Ordn. d. Fragm. in den Pand. in **Savinii, Göschenii** et **Eichhornii** Zeitschr. f. gesch. RW. Vol. IV. p. 374 seqq.

13) Haec est lectio Florentina aperte falsa et ex falsa similium notarum *qa* et *qu* explicatione orta. Veram tuentur Hal. et Vulg.: *quamvis nulla* etc. *quia Decemviros.* Fortasse etiam assentiendum est **Haloandro** pro *actio est* legenti *actione.* Malim tamen *quamvis . . . . actio sit.*

interim magis cessare et vindicatio impediri, quam utrumque sublatum esse videri debet. [14]) Neque ad rem pertinet, quod lex XII tabularum tignum solvi vetuit; hoc enim dominii causam non mutat, neque ex Gaii Paullique neque ex Ulpiani sententia. Hactenus igitur Paulus a se ipso dissentire dici non potest. Sed cum addit, idcirco neque actionem ex lege XII tab. descendentem locum habere, quia furtivum tignum non sit, quod domino sciente inclusum sit, iam cum Ulpiano statuere videtur, actionem de tigno iuncto tantum ad furtivum tignum spectare. Quid ergo est? Num a se ipso descivit ICtorum non modo subtilissimus sed etiam consideratissimus? Hoc pronunciare, fateor, pudor quidam vetat. [15]) Quapropter existimo, ut Digestorum conditores etiam ex ea auctorum oratione, quam in codicem suum referebant, permulta passim resecuerunt, ita Pauli quoque verba non integra ad nos pervenisse, quod etiam illud *neque* indicare videtur, cuius loco, ut nunc composita est oratio, simplex *non* certe poterat poni. [16]) Finge ergo, Paulum sic fere scripsisse: *sed in hoc solum agi potest, ut sola vindicatio soluta re competat mulieri, non in duplum ex lege XII tabularum; [nam hanc actionem hoc casu locum non habere, non solum, ut Gaius (vel alius ICtus) eum accipit, cuius sententiam et ego probo, verum est, propter eam rationem, quam Neratius posuit, sed multo magis ex Ulpiani (vel alius ICti) opinione, qui de tigno furtivo Decemviros sensisse putat;] neque enim furtivum est, quod sciente domino inclusum est.* Finges certe non improbabiliter;

---

14) Hoc etiam Gaius sensit, cum ait L. 7. § 10. D. de acquir. rer. dom. (41, 1): *nec tamen ideo is, qui materiae dominus fuerat, desinit eius dominus esse, sed tantisper neque vindicare eam potest, neque ad exhibendum de ea re agere* etc. Cf. etiam L. 59. D. de rei vind. (6, 1) et L. 2. C. eod. (3, 32). Alia causa est possessionis, quae cum facti sit, tigno iuncto vere exstinguitur nec postliminio in pristinam causam redire potest. L. 23. § 2. D. de usurp. (41, 3). L. 1. § 2. D. de tign. iunct. (47, 3).

15) Hoc impedimentum facile superavit bonus Westphalus, qui in lib. über die Arten der Sachen, Besitz, Eigenthum u. Verjähr. § 441. de h. l. alia ratione sibi incommodo sic iudicat: *L. 63 de don. int. vir. et ux. ist dem Juristen von ohngefähr und als eine Meinung entwischt, ist hergenommen von dem, was gewöhnlich zu seyn pflegt* etc.

16) Neque enim me fugit, *neque* ita ut ipse modo facio, pro simplici *non* saepissime poni; quamobrem huic argumento ipse non multum tribuo.

nam et *neque enim* iam vim suam obtinet, positum scilicet pro *nam etiam non*, et abunde claret, cur excerptores controversiae mentionem, quam omnino ab opere suo exulare volebant, etiam hoc loco deleverint. Iam vero salva res est. Ut **Ulpianus**, ita etiam **Gaius** et **Paulus** ubique sententiam suam tenuerunt.

At hoc reperto parum profecimus. Iam enim multo gravior instat quaestio, cuius causa haec omnia tractavimus: quomodo illi ICti in natura actionis de tigno iuncto constituenda in tam diversas sententias discedere potuerint? Verumtamen etiam ad hanc quaestionem responsio iam in promptu est, si modo legem XII tabularum de tigno iuncto in integrum restituere nobis contigit. Dixerant Decemviri: *Tignum iunctum aedificio vineavè si concapit; ne solvito.* Hic aperte quidem nihil de tigno furtivo; sed verba *si concapit* tacite quibusdam, et in his **Ulpiano**, significare videbantur, cogitasse Decemviros de tigno furtivo. Concipi enim praeterea in XII tabulis tantum furtum dicebatur. Auctores sunt **Gai.** 3, 183. *Conceptum furtum dicitur, cum apud aliquem, testibus praesentibus, furtiva res quaesita et inventa est. nam in eum propria actio constituta est, quamvis fur non sit, quae appellatur concepti.* § 191. *Concepti et oblati poena ex lege XII tabularum tripli est; quae similiter a Praetore servatur.* Et **Paul. S. R.** 2,31. § 3. *Concepti actione is tenetur, apud quem furtum quaesitum et inventum est.* — § 5. *Concepti is agere potest, qui rem concepit et invenit* — [17]) Idemque fortasse etiam ex origine vocis concipiendi

17) Adde praeterea **Gell.** 11,18. **Gai.** 4,173. § 4. I. de oblig. quae ex del. (4, 1) et de furto per lancem et licium concepto **Fest.** v. **Lance.** **Gell.** 11, 18. 16,10. **Gai.** 3, 192—194. Obiter animadverto, qui hucusque restituendis legibus XII tab. operam dederunt, perperam unam tantum de furto concepto posuisse legem. Duae enim fuerunt; altera, quae furti concepti et oblati poenam tripli statuebat (**Gai.** 3,191. **Gell.** 11, 18) altera, quae quaerere prohibitum lance et licio quaerere et quod is concepisset, furtum manifestum esse iubebat (**Gai.** 3, 192. **Fest.** et **Gell.** ll. cc.). Sic igitur ferme fuerit in XII: *Apud quem furtum concaptum esit, queique ei obtulit, nei apud se concaperetur, triplo pro fure damnum decidito; sei quaerere prohibesit, nudus lance et licio quaerito; ita sei concapit, furtum manifestum esito.* De furto oblato cf. maxime **Gai.** 3,187. et **Paul. S. R.** 2,31. § 3.

colligebant, quae dicta videretur a re praesentibus testibus quaerenda et ita *cum* aliis capienda atque deprehendenda. [18]) Si enim ita vocem intelligimus, concipi tantum potest, quod de industria et cum quadam solemnitate quaesitum, non quod forte occurrens invenitur, idque ad furta proprie pertinet. [19]) Aliud eiusdem opinionis argumentum fortasse ex aliis huius legis verbis, quae perierunt, petebatur. Pone, Decemviros deinde subdidisse: *Ast quei iunxit,* [20]) *duplione damnum deceidito.* Et quod dictum erat *qui iunxit*, non: *cuius aedificio vineave iunctum est*, et quod in sanctione eadem loquendi formula usi erant, quae in actionibus adversus fures fere solemnis est, [21]) ad tignum furtivum respicere videbatur. Denique durum dici poterat, si quis bona fide tignum iunxisset, vel domum iuncto tigno bona fide emisset, is ut duplum rei pretium solveret. — Haec igitur omnia ita comparata esse, ut egregius Iurisconsultus haud temere iis moveatur, quis infitias ibit?

Attamen nec deficiebant, quibus Gaius et Paulus suam sententiam tuerentur. Primum enim lex furti mentionem non fecit. Deinde ne in ea quidem parte collocata est, ubi de furtis agitur, hoc est (nam J. Gothofredo assentimur) in

18) Huc referri quodammodo potest Plauti locus ex Poen. III, 5. v. 20. ubi Lycus leno Agarastoclem, qui servum furtivum cum testibus quaesitum venit, ita compellat:

Malus es, captatum me advenis cum testibus.

Tuorum apud me nemo est, nec quidquam tui.

Nam quod proprie rem spectat, hic ad personam translatum dici potest. Praesentibus testibus quaerendum fuisse, praeterquam ex hac Plauti comoedia, in qua vid. III, 1 et 6. constat ex Gai. 3, 183. Cf. etiam Petron. 97.

19) In furtis concipiendis rem revera ita acceptam et moribus traditam fuisse, apparet ex locis modo laudatis. Adde Paul. S. R. 2, 31. § 22. *Qui furtum quaesiturus est, antequam quaerat, debet dicere, quid quaerat et rem suo nomine et sua specie designare.* Perinde atque in actionibus: L. 6. D. de rei vind. (6, 1) L. 19. pr. § 1—4. D. de furt. (47, 2).

20) Vid. L. 1. pr. D. de tign. iunct.: *„sed in eum, qui convictus est iunxisse, in duplum dat actionem.* § 2. *„qui sciens alienam rem aedificio inclusit iunxitve."*

21) Damnum decidere legitur in actione furti: Gai. 4, 37. L. 9. § 2. D. de minor. (4, 4). L. 7. pr. D. de cond. furt. (13, 1). L. 46. § 5. D. de furt. (47, 2); in lege de fruge furtim noctu pasta et secta: Plin. H. N. 18, 3. *(„noxiamque duplione decerni")* et in lege de fructibus ex vindiciis falsis partis: Fest. v. *Vindiciae.*

tabula octava, sed inter eas leges, quae rerum dominia spectant, in tabula sexta. [22]) Ex utroque effici videtur, ut quam lex hac parte, negata ipsius rei solutione et vindicatione, actionem dedit, ea rei potius persecutionem quam poenam continere videatur. Neque novum est, in duplum actiones solius damni ratione competere, velut iudicati, auctoritatis, depositi, quae omnes ex lege XII tabularum descendunt. Iniquitas vero huic legi tanto minus obiici potest, quod qui convenitur, tigno solvendo et restituendo actionem sine dubio evitare potest [23]), quod ubi recusavit, iure merito dominus, re sua fraudatus, duplum consequitur. Verba *si concapit* plerumque sane rem furtivam spectant, sed quidni etiam is, qui rem suam haud per furtum sed aliquo modo amissam postea invenit, eam concipere dicatur? Nam furtum concipere nihil aliud significat, nisi ipso facto reperiendi animo concipere et persuaderi, hanc eam rem esse, quam furto perdideris. Atqui pari ratione etiam res quocunque modo amissae recognosci et concipi possunt. Quod vero lex eum, qui iunxit, conveniri iussit, haud quidem ex subtilitate locuta videtur, sed quum is, qui tignum aedificio suo iunctum habet, plerumque ipse iunxerit, non absurdum, immo priscae illi sermonis simplicitati consentaneum videtur, de iunctum habente legem interpretari. Postremo huic interpretationi etiam verba *damnum decidito* non adversantur. Haec enim generaliter significant, oportere aliquem de iniuria facta alteri satisfacere, et ex horrida illa antiquitate descendunt, qua ipse sibi quisque ius dicebat; quum vero olim is, qui

---

22) Huic tabulae legem nostram Gothofredus vindicavit duobus argumentis, ut mihi videtur, non minus probabilibus quam subtilibus; primum est, quod L. 235. §. 1. D. de V. S. (50, 16) qua tigni appellatione omnem materiam aedificio necessariam contineri probatur, *(Fabros tignarios dicimus* [Gaius scripserat *dicebant*] *non eos duntaxat, qui tigna dolarent, sed omnes, qui aedificarent)* sumpta est ex Gaii lib. 3 ad legem XII tabularum, isque singulis operis sui libris binas tabulas tractasse non immerito creditur; alterum, quod in lege nostra, ne tignum vindicationis causa solvatur, caput est, et omnia, quae de dominiis cavebantur, in tabula sexta scripta fuisse, multis argumentis conficitur. Cf. etiam Dirksen. l. c. p. 288 seqq.

23) Fortasse tamen etiam de hac quaestione non minus quondam veteres ICti, quam postea Glossatores disseruerunt, de quibus vid. Gloss. ad § 29. I. de rer. divis. (2, 1). G. Haenel. Dissens. Dominor. p. 173 cum not. ad § 73. Adde Westenberg. l. c. c. 2. § 13. p. 130.

laesisset, evitandae ultionis gratia privatim cum altero quoquo modo pacisci necesse haberet, postea civili ratione, ne iniuriae vindicta immensum glisceret, lex supervenit, et, nisi conveniret inter eos, certam quantitatem definivit. Tametsi igitur in meris rei persecutionibus damnum decidi oportere dici non potest, (quid enim, ubi certum incertumve dari oportet, vel res restituenda est, decisione opus?) tamen haec vox non ad furum poenas restringitur, sed ad alia quoque delicta pertinet, cui rei id ipsum, quod in actionibus furti specialiter *pro fure* damnum decidi oportere dicimus, et quod lex XII tab. etiam eum, qui vindiciam falsam tulit, qui non utique fur est, fructus rei duplione damnum decidere iussit, argumento est: atqui in delicti speciem quodammodo cadere, si quis tignum solvere alterique restituere detrectet, iam supra monuimus.

Haec igitur ut nos modo in utramque partem disputavimus, ita fere etiam inter Ulpianum et Paulum disputatum esse, credibile est. Quod si, utra nobis sententia verior videatur, quaeris, primum contineo; prope arrogantiam enim, quis dicat, videri, quod integris legis verbis tanti ICti extra dubium non posuerunt, nunc velle decidere. Si tamen instas et urges, fateor, Gaii et Pauli sententiam ad veritatem propensiorem mihi videri, ex iis ipsis, quas proxime antea exposui, rationibus, quanquam etiam, contra nonnullas earum quid rursus disputari possit, et maxime, quantum praesidii Ulpiano in verbis legis *si concapit*, et *qui iunxit*, relinquatur, me non fugit. Ulpianus tamen non hoc sensisse existimandus est, actionem de tigno iuncto eandem esse, quae generaliter furti concepti appellatur. Haec enim in triplum datur, illa in duplum; haec etiam contra b. f. possessorem, illa contra eum, qui sciens alienum tignum coniunxit; hac condemnatus habet actionem furti oblati, quae illi non competit; agit denique hac, qui furtum concepit, scilicet si interfuit eius, rem salvam esse, ut in vulgaribus furti actionibus, illa vero is, qui dominus tigni est; nam alius solvere prohiberi non potuit. E diverso nec Gaius et Paulus, prorsus in locum actionis ad exhibendum et vindicationis hanc actionem suffectam esse, dicere poterant. Nam ecce illae actiones ei quoque competunt, quo volente vel consentiente tabula rei alienae ita, ut dominium ab eo non discederet, coniuncta est, ut puta si quis ipse, cum navem alienam bona

fide possideret, sua tabula eam refecit et deinde possidere quocunque casu desiit, sive, cum alienare non posset, materiam suam alteri iniungendam dedit, qui casus est L. 63. D. de donatt. int. vir. et uxor. Actio de tigno iuncto vero propter verba *si concapit,* his casibus dari non poterat, ut iam Neratius, non dissentiente Paulo, animadvertit L. 63. cit.

Nihilominus haud paucae differentiae inter utramque sententiam relinquuntur. Ex Ulpiani sententia nonnisi adversus eum, qui iungendo furtum fecit, sive idem possideat, sive minus, non vero adversus heredes aliumve bonae vel malae fidei possessorem actio locum habet, et, si plures iunxerunt, omnes tenebuntur ita, ut poena ab uno soluta ceteros non liberet, sicut in omnibus poenalibus iudiciis; nec, qui duplum exegit, ad exhibendum agere adversus eundem, qui dolo desiit possidere, tignumve solutum a possidente vindicare prohibendus est (L. 1. § 2. L. 2. D. h. t.). Furti adeo actione num is, qui hac conventus, duplum praestitit, liberetur, dubitari potest. Namque verius videtur, aliam esse furti poenam, aliam tigni furtivi iuncti, quo factum est, ut dominus rem licet conceptam, recuperare non possit. Duplum vero in hac, sicut in furti actionibus, utique intelligendum est eius, quod interest, et damnatus sive depectus infamabitur. Qui vero bona fide tignum iunxit, si Ulpianum sequimur, nulla omnino actione, ne in factum quidem [24]), donec tignum solutum est, tenebitur. — Gaius et Paulus contra non adversus eum, qui tignum iunxit, sed qui iunctum habet, hoc est,

24) De hac dubitari possit ob L. 23. § 5. D. de rei vind. (6, 1): *Ideoque in omnibus his casibus, in quibus neque ad exhibendum neque in rem locum habet, in factum actio necessaria est.* At Paulus ibi loquitur de rebus, quarum dominium confusione exstinctum est, ad quod genus etiam referendae sunt L. 5. § 3. D. eod. et L. 9. § 2. D. de acq. rer. dom. (41, 1). Hoc de ligno iuncto dici nequit, vindicando scilicet, quam primum aedificium dirutum fuerit. Cum igitur eius nomine non tam actio nulla sit, quam eius, quae sit, dies nondum venerit (L. 98. § ult. D. de solutt. et liber. 46, 3) in factum actio locum habere non potest, quae tum demum, si nulla omnino actio sit, et tamen, quoniam mera tantum subtilitate dominium exstinctum est, esse debeat, dari debet. Idque confirmat Paulus L. 63. D. de donatt. int. vir. et ux. (24, 1), de qua supra egimus. Sed hoc ex genuina iuris civilis doctrina; recentiores enim, prisci iuris subtilitatem non admodum curantes, actionemque in factum non tam, ubi iustum est, tribuentes, quam, ubicunque commodum est, largientes, hic quoque dare non dubitabant.

qui aedificium possidet, sive eo sciente sive nesciente iunctum sit, actionem dant, quae proinde, si socios ponimus possidere, pro rata parte dividenda erit. Actor quoque, si, duplum iam consecutus, ad exhibendum contra eum, qui tignum dolo possidere desiit, vel, soluto tigno, in rem agat, doli exceptione summovebitur. Denique is, quicum agitur, condemnatus ex hac sententia infamis non fiet, neque duplabitur id, quod interest, sed rei aestimatio, quia credibile est, Decemviros pro eo ipso, quod interest, duplum rei computasse, sicut in rationibus distrahendis actione. [25])

Quum igitur hae sententiae tantum inter se discrepent, et utraque in Iustiniani libros irrepserit, iamiam multum interest, quaerere, utra nunc in foro sequenda sit? Quae quaestio tota in eo est, utrum Institutiones an Pandectae superiores esse debeant; nam in his, licet tam Gaii et Pauli quam Ulpiani locos ad actionem de tigno iuncto spectantes contineant, providerunt tamen conditores, ut Gaius et Paulus, si non consentirent, saltem nec dissentirent ab Ulpiano, cuius opinionem ipsi probassent. Gaius enim et Paulus ubique ita loqui instituti sunt, ut nonnisi qui emunctae naris sit, a plane diversis eos principiis in hac actione aestimanda profectos esse animadvertat, nec fronte adversa cum Ulpiano pugnare dici possint. [26]) Iam vero in Institutionum et Pandectarum contentione

---

25) L. 1. § 20. D. de tutel. et ratl. distrah. act. (27, 3). Maxime huic opinioni favent verba Pauli in L. 98. in fin. D. de solutt. et liberatt. (46, 3). *Denique lex XII tabularum tignum aedibus iunctum vindicari posse scit: sed interim id solvi prohibuit, pretiumque eius dari voluit.* Cf. etiam L. 7. § 10. D. de acquir. rer. dom.

26) Res quo manifestior fiat, singula, quae in sensum alienum deflectere videntur, hic sub unum conspectum coniicere placet: Paulus L. 98. § ult. D. de solutt. (46, 3) legem XII tabularum tignum salvi vetuisse, sed *pretium eius dari* voluisse ait. At hoc ex sententia Triboniani sic intelligi potest, pretium duplicatum eum, qui dolo malo iunxerit, praestare iussum esse. Pretium vero non tam accurate loquentibus etiam ad id, quod interest, (L. 3. § 11. D. uti possid. 43, 17) adeoque ad id, quo malefactum luitur, referri potest. Idem Paulus L. 98. cit. L. 23. § 6. D. de rei vind. (6, 1) et L. 6. D. ad exhib. (10, 4) hac actione sicut ad exhibendum, omnino de tigno iuncto (non adversus eum, qui iunxit, neque qui sciens iunxit) agi significat. At ex Triboniani sententia nihil prohibet, quo minus hoc accuratius ad

utra pars alteram vincere debeat, tametsi minime inter recentiores convenit [27]), tamen in hac causa quin secundum Pandectas lis danda sit, mihi dubium non est. Pandectarum enim conditores, dum peculiarem titulum de tigno iuncto in libris terribilibus ponunt, dum hanc actionem ad tignum furtivum sive a sciente iunctum spectare et meram poenam exsequi, expresse definiunt, (L. 1. pr. § 2. L. 2. D. h. t. L. 63. D. de donatt. int. vir. et uxor. 24, 1) dum **Gaii** et **Pauli** locos (L. 7. § 10. D. de A. R. D. (41, 1). L. 63. D. cit.) nimis aperte huic sententiae adversantes mutilant, his rebus omnibus se **Ulpiani** velle sententiam admittere, **Gaii Paulique** reiicere, quam poterant, clarissime significaverunt. At hoc idem de contraria in Institutionibus relata **Gaii** sententia dici non potest. Iam enim ostendimus, in **Gaii** loco non id, quod amplius est in Institutionibus, sed quod minus habent Pandectae, **Triboniani** sociis deberi. Atqui si in Pandectis apparet consilium omittentis, in Institutionibus incuria eundem locum integrum transferentis, dubitabimus, quin, quod in his legitur Pandectis contrarium, errori tribuendum horumque diligentiae postponendum sit? Et est ferme simile discrepantiae exemplum notissimi illius, quod in eiusdem L. 7. § 7. D. de acquir. rer. dom. (41, 1) collata § 25. I. de rer. divis. (2, 1) deprehenditur, nisi quod hic per contrarium in Institutionibus, brevitatis studio, ut videtur, aliquid omissum est, quod Digesta servarunt. [28])

In nostro autem exemplo hoc singulare et haud scio, an non hactenus unicum, est, quod ut lectio, quam restituimus legi XII tabularum, huius controversiae origine ex ea ipsa demonstrata, insigniter confirmatur, ita rursus a vera legis XII tabularum lectione recta iuris, quo nunc utimur, interpretatio pependisse merito dici potest. Nondum restituta enim illa lege, quis tanto tamque sagaci ingenio

---

tignum a sciente iunctum constringamus. Denique de **Gaii** loco in L. 7. D. de acquir. rer. dom. iam supra not. 11. diximus.

27) Vid. **Mühlenbruch'ii** V. Clar. Doctr. Pand. § 71. num. 3. not. 12 seqq. ed. III.

28) Potest tamen dici, etiam hoc loco potius servando, quam resecando peccatum esse. Nam omissis illis **Gaii** verbis: *Videntur tamen mihi recte quidam dixisse . . . . sed eam, quae est, detegit,* etiam exemplum, quod de frumento spicis excusso posuerat, omittendum erat.

praeditus erat, ut, num quid et cur inter se de hac actione dissensissent ICti Romani, divinando assequeretur? Rursus, nondum cognita hac controversia, neque natura actionis de tigno iuncto, neque utra sententiarum de ea in ius civile Iustinianeum receptarum sequenda esset, diiudicari poterat. Quare etiam recentiores, qui de hac actione scripserunt, tanquam in tenebris errare, et prout quisque hoc vel illo loco magis delectaretur, hac vel alia distinctione discordiam sopire facilius duceret, alium aliud quasi pro lubitu statuere videas, quod ut confirmemus, paucis exemplis defungamur.

Glossatores [29]) actionem de tigno iuncto tam contra eum, qui iunxisset, quam qui iunctum haberet, competere opinabantur, ita tamen, ut si alter solvisset, alter liberaretur. An etiam h. f. possessor teneretur, inter se dissentiebant; plerisque tantum in simplum conveniri posse visus. § 29. I. de rer. div. et L. 2. D. de tign. iunct. sic inter se conciliabant, ut Ulpianum actum quidem de tigno iuncto, sed non exactum nec perceptum esse, sensisse ponerent. Quae si fuisset Ulpiani mens, non poterat, quin id, quod maximi momenti erat, expresse adiiceret, ut taceam, eo iure, quod Ulpiani temporibus valebat, etiam litem tantum de tigno iuncto contestato posteaque rem vindicanti exceptionem rei in iudicium deductae sive doli mali nocituram fuisse. I. Cuiacius [30]) hanc actionem de tigno furtivo dari arbitratur in duplum in non furem, qui bona fide tignum iniunxerit, hac sola ratione, quod tignum furtivum apud eum conceptum sit, quod vindicari non possit; eumque nulla alia actione teneri, deque eo, quod praestiterit, adversus auctorem actionem furti oblati habere. Verum in furem ipsum hanc actionem esse mere poenalem et furem ultra dupli poenam in rem teneri et ad exhibendum, quasi dolo desierit possidere, et condictione furtiva, vel etiam, soluto tigno, quasi possessorem. Esse etiam actionem in furem famosam, in non furem non famosam ex L. 8. C. ex quib. caus.

29) Vid. Glossam ad ll. cc. maxime ad § 29. I. de rer. divis. et ad tit. D. de tign. iunct. Aliquid etiam dabunt G. Haenelii Dissens. dominor. p. 173. 174.

30) Paratitl. ad tit. D. de tign. iunct. 47, 3. (Tom. II. p. 69. ed. Francof. 1623). Observ. 23, 19. (Tom. IIII. p. 562).

infam. De tigno non furtivo dat actionem praetoriam in factum ad pretium consequendum ex L. 98 fin. D. de solutt. eoque refert etiam L. 23. § 6. D. de R. V. et § 29. I. de rer. divis. Similiter distinxerunt deinde alii, sic tamen, ut vix unum reperias, qui plane alterius vestigia legerit. [31]) Inde ab Harskampio tamen et Westenbergio praevaluit sententia opinantium, duplicem esse actionem de tigno iuncto, ex eadem tamen XII tabularum lege descendentem, alteram, quae competat in eum, qui sciens alienum iunxerit, mere poenalem, alteram in eum, qui tignum sive furtivum sive non furtivum bona fide iunctum habeat, non poenalem, sed in duplum ita, ut eo res ipsa praestari videatur. Idem fere senserunt Maiansius et Westphalus et nunc plerique probare videntur. [32]) Nemo tamen unus simile exemplum attulit actionis in duplum, quae in m. f. possessorem esset poenalis, in b. f. possessorem rei persecutoria; neque credo, ullum afferri posse. Hoc vero tanto maiorem scrupulum iniicit, quod hae actiones natura plane diversae ex eadem lege profectae esse dicuntur. Qui scrupulus non eximetur, si quis illam actionum diversitatem ad prudentum potius auctorita-

---

31) In his commemorandus Ger. Noodtius, qui in Comm. ad Pand. lib. VI. tit. I. p. 156. ed. a. 1732. in duplum actionem tantum de furtivo tigno admittit, et in § 29. I. de rer. div., ne pugnet contra L. 2. D. h. t., verba *si non fuerit duplum iam consecutus* ut ab imperito adsuta eiicit. Praeterea si cuius interest, varias de hac actione opiniones cognoscere, ei praeter notos controversiarum scriptores satisfacient C. Ziegler de tigno iuncto in Discept. select. ex ed. G. Beyer. Lips. 1712. num. 44. Io. Ortw. Westenberg. Diss. VI. de caus. obligat. c. 2 et 3. (Opp. ed. Iung. Tom. I. p. 128 seqq.) B. I. v. Harskamp in Diss. cit. (supra not. 1) c. 5. Nic. Smallenburg ad A. Schulting. Not. ad Pand. Lib. 47. tit. 3. L. 1. Tom. VII. p. 196 seqq. — Ab E. Chr. Westphal. v. Eigenthum, Besitz etc. § 441. etiam laudatur G. Sturmii triga controvers., tert. de actione de tign. iunct. non poen. mixt. sed mer. rei persecut. et a Ren. C. de Senkenberg in Lipen. biblioth. iurid. Vol. II. p. 397. Io. Phil. Streitii progr. de act. de tigno iuncto. Erfurd. 1730. 4. et insertum Io. Ioach. Reinecc. contemplat. superamentor. Hal. 1767. 4.

32) Vid. ex. gr. Glück ausführl. Erläut. d. Pand. Tom. III. p. 609. v. Wening-Ingenheim Lehrb. des gem. Civilr. lib. III. § 346. (§ 347). Io. Ad. Fritz Erläut., Zusätze u. Berichtig. zu v. Wening-Ingenheim. Tom. I. p. 346. L. A. Warnkönig Comm. iur. Rom. priv. Tom. I. p. 362. E. Schrader in Commentar. ad Instit. p. 199. Thibaut System des Pandektenrechts ed. 8. Vol. II. § 729. Neque tamen hi omnes sententiam suam satis clare aperuerunt.

tem quam ad legem referre velit. Nam si revera aliquando placuisset, ut actio de tigno iuncto contra b. f. possessorem rei persecutoria sive mixta, contra m. f. possessorem poenalis esset, qui fieri potuit, ut huius discriminis prorsus singularis nec vola nec vestigium (ut aiunt) exstet apud ullum eorum, qui de ea scripserunt? Si igitur de omnibus hisce, qui adhuc hanc materiam tractarunt et bene distinguendo bene docere sibi visi sunt, iudicare licet, subtilitatis illi quidem laudem eximiam meruisse, verum tamen non invenisse, et quo minus invenirent, eo potissimum praepediti esse nobis videntur, quod singula Iustiniani volumina plus, quam par erat, pro uno iuris codice, ab uno ingenio profecto, habuerunt, neque quemadmodum et quibus ex fontibus singulae eius sententiae in haec quasi iuris castella deductae fuerint, satis attenderunt.

Sed ad legem XII tabularum, unde profecti sumus, iam revertimur. In qua praeterea quaeri solet, an etiam vindicationem tigni aedibus vineave iuncti specialiter vetuerit, et rursus quandocunque resoluti permiserit. Ad prius quod attinet, Decemviros verbis illis *tignum aedibus vineave iunctum si concapit, ne solvito* etiam adiecisse: *neque vindicito,* [33]) credibile fit inprimis hisce Ulpiani verbis L. 1. pr. D. de tign. iunct.: *Lex XII tab. neque solvere permittit tignum furtivum aedibus vel vineis iunctum, neque vindicare*, quibus etiam similia sunt, quae Gaius L. 7. § 10. D. de A. R. D. et Paulus L. 23. § 6. D. de R. V. de hac lege referunt. Sunt tamen etiam, quae dissuadeant, hoc pacto legem conceptam fuisse: primum, quod, vetita solutione, etiam vindicationem vetare opus non erat; nam quicquid corpus sua vi constans non efficit, naturaliter vindicari non potest; deinde quod et Gaius L. 7. cit., ubi ipsam legis con-

33) Decemvirûm enim aetate formam posteriorem vindicas, vindicat, vindicare nondum invaluisse, testantur verba XII tabularum, quae exstant apud Gell. 20, 1. *ni iudicatum facit, aut quis endo em iure vindicit, secum ducito;* item formae *vindicta, vindiciae.* Quin omnia huiusmodi verba, maxime composita, quae postea in primam coniugationem abierunt, hac aetate adhuc *αἰολιζόνες* indeque accentum in priores syllabas reiicere amante, ad tertiae normam flecti consuevisse videntur, ut esset litigere, navigere, iurgere, usurpere etc. pro litigare, navigare, iurgare, usurpare.

stitutionem refert, et Paulus L. 6. D. ad exhib. et L. 98. § ult. D. de solutt. tantum solutionem prohibitam commemorant. Quicquid est (ipse enim quid sentiam, paulo postea dicam), caveas quaeso, ne praepostere primum vindicari deinde solvi tignum XII tabulas vetuisse, cum quibusdam [34]) opineris. Quos decepisse videtur, quod § 29. I. cit. tignum ex XII tabulis primo vindicari deinde ad exhibendum de ea re agi posse negatur. At hoc ideirco, quia vindicatio cum ipso iure civili nata, ad exhibendum actio Praetoris demum edicto diu post XII tabulas introducta est; quamobrem etiam Paulus L. 23. § 6. D. de R. V. tantum vindicationis prohibitionem ad XII tabulas refert. [35])

Ut tignum postea solutum vindicari liceret, legem cavisse, vulgo ex Pauli verbis conficiunt L. 98. § ult. D. de solutt.: *Denique lex XII tabularum tignum iunctum vindicari posse scit, sed interim id solvi prohibuit, pretiumque eius dari voluit;* eoque referunt Festi locum v. *Sarpuntur vineae i. e. putantur; ut in XII: Quandoque sarpta donec dempta erunt.* Utrumque sensu quodam veri; attamen qui verba a Festo relata explicaret et loco suo restitueret, adhuc repertus nemo est. [36]) Videamus igitur, an nobis, reliquias legis apud Festum conspicuas accuratius contemplantibus res prosperius sit cessura.

---

34) Velut Turnebo, qui Advers. 13,27. restituit: *ne vindicato ne solvito* et I. Gothofredo, de quibus iam dixi.

35) Hic quaerat aliquis, quomodo Decemvirûm aetate ei consultum fuerit, cuius pata tabula alterius armamentario iuncta erat. Scilicet ipse sibi consulebat solvendo (arbitro tamen, ut puto, Praetore) et demendo, quod suum esse confidebat. In plerisque enim causis olim rudis quaedam ac paene privata iuris persecutio valebat, cuius in locum postea praetoriae actiones successerunt.

36) Nullo enim numero habendum, quod Iac. Gothofredus, a Dirksenio hac parte omissus, proposuit (in Otton. thes. Tom. III. p. 112) *[Tigna] quandoque sarpta, donec dempta erunt, vindicato;* quae ne ipsum quidem intellexisse reor; saltem non exposuit. Nisi cui placeat Westphalus l.c. § 138. hoc modo Gothofredo subveniens: *Sarpere hiess so viel als reinigen. Also hiess es: Die Materie, welche der andere zu seinem Bau aptirt und eingerichtet hat, soll man denn abfordern können, wenn sie wieder abgerissen ist. Donec hiess hier so viel als tunc quando.* Praeterea a Dirksenio didicimus, Aloysium de Locella in trib. tentam. ad illustr. XII tab. p. 180. ita restituisse: *Quandoque sarpta vinea escit, danicum demta erunt, tigna vindicare ius esto;* quo tamen sensu, ignoro, nec scire gestio.

Primum *sarpere* quid sit et quo pertineat, praeter ipsum Festum duo alia huius stirpis verba, *sarmenta*, quae sunt virgulae superfluae vinitori putandae, et *sirpiculae*, pro sarpiculis dictae, h. e. falces, quibus vites putantur, nos docent. Ergo *sarpta* ad vineam respiciat necesse est; id quod certo certius constaret, si Lud. Charondae fides habenda esset, qui, quod restituit: *Quandoque sarpta vinea, donec demta escit*, id manuscripti codicis auctoritate defendi asseverat. [37]) Equidem tamen, donec alius testis fide dignior affirmaverit, de hac lectione subdubito, maxime propter extrema illa verba. Nam dempta dici non potest vinea; tigna iuncta potius et si quae alia inaedificata vel connexa sunt, demi dicuntur, quum prorsus tolluntur, auctore Iuliano L. 59. D. de R. V. (6, 1): *Habitator in aliena aedificia fenestras et ostia imposuit: eadem post annum dominus dempsit: quaero, is, qui imposuerat, possetne ea vindicare? Respondit, posse; nam quae alienis aedificiis connexa essent, ea, quamdiu iuncta manerent, eorundem aedificiorum esse: simul atque inde dempta essent, continuo in pristinam causam reverti.* [38]) Quocirca verbum subiectum, unde *dempta* pendet, vix aliud nisi *tigna* esse potest, quae vox aut initio praecessit, aut statim post *erunt* secuta est. *Vinea* autem, quo pertinet *sarpta*, si non excidit ante vel post *sarpta*, aut ex superioribus *tignum iunctum aedificio vineave ne solvito*, tacite repetenda est, aut et ipsa ea verba, quae Festus servavit, antecessit. Denique obiter moneo, pro ultimo verbo *erunt* in ipsis XII tabulis fuisse videri *esunt*, quod tunc dixere et pro *erunt* et pro *sunt* (ut *esum* pro *sum* — *esis, esit, esito, esumus, esitis, esunto, esese, abesens*, pro *es, est, esto, sumus, estis, sunto, esse, absens*) [39]);

---

37) Vid. Dirksen. l. c. p. 445 seq. et de fide Charondae, scilicet quam maxime suspecta, eundem p. 47 seq.

38) Addiderat sine dubio Iulianus (quod in transcursu moneo), neque usucapione peremptam esse vindicationem ob eam causam, quae L. 23. D. de usurp. (41, 3) adfertur. Alioquin enim casum non ita finxisset, ut post annum fenestras et ostia dempta poneret.

39) Vid. Varr. de L. L. 9, 57. § 100. *Sum quod nunc dicitur, olim dicebatur esum et in omnibus personis constabat* etc. Hinc *esunt* vice manuscripti *essent* restituendum est in illa lege (Cic. de leg. 2, 24): *quoi auro vincti dentes essent*, ubi plerique male *escunt* scripserunt. *Esit*, quod bis ex XII refert Fest. v. *Nec*. et quod etiam legendum apud Macrob. Sat.

posteriores inde fecerunt *erunt;* num recte, nec potius debuerint effingere *sunt*, dubitari potest. [40])

1, 4. duabus legibus XII tab. nuper recte viodicovit O. Müllerus in Blumil od Legem Dei exc. XI p. 164. Cui tamen non assentior existimanti, in legibus XII tab. *cui suus heres nec esit — si agnatus nec esit* aliisque *esit* dictum esse pro *sit*. Neque enim usquam in legibus XII tab., *si* vel verbo relativo ab initio posito, luveoies coniunctivum verbi sequi, et *sit* antiquitus efferebant *siet*. Neque vero *esit* est futurum pro *erit* ex sententia C. L. Struvii über d. latein. Declin. u. Conjug. p. 62. Nam si unum locum exceperis de in ius vocato (Gell. 20, 1): *Si morbus aevitasve vitium escit, qui in ius vocabit, iumentum dato, si nolet, arceram ne sternito*, ubi, quoniam haec omnia ad in ius vocantem *(si in ius vocat)* referuntur, quo respecta vere sunt futuro, etiam futurum ponendum erat, hoc igitur loco excepto, ubique illud legale *si* sequitur aut praesens, aut perfectum, aut futurum exactum. Itaque *esit* dictam pro *est, i* extrito, sicut in *fert, volt*. Et in summa tenendum est, in indicativo et infinitivo primam, in coniunctivo posteriorem syllabam antiquitus accentum habuisse videri. Hinc ex *esis* factum *es(i)s*, deinde *es* (quod propterea, ut pro *ese* dictum, sectius Propert. 2, 23 fio. et Albinov. 1, 379. produxerunt, quam Virgil. Aen. 1, 391. aliique corripuerunt) ex *esit — es(i)t*, tandem *est*, ex *es(e)se — esse*, unde etiam *essem, esset* etc. pro *es(r)sem, es(e)rre* natum. Hinc et *potessunt* (pro *potesunt*). *Sum, sumus, sunt, sunto, esens*, pro natura elementorum *m* et *n* post *s* non patiebantur, ut *u* vel *e* eiiceretur; in his igitur velocior et elegantior posteriorum lingua, ut in coniunctivo, *e* initiale elisit. Nam in coniunctive posteriorem syllabam plus voluisse et quasi productam esse, non solum inde patet, quod pro *sim, sis, sit*, dixerunt *siem, sies, siet*, sed etiam quod *e* initiale postea abiecerunt. Ibi igitur ex *esim* factum (e)*siem*, dein *siem*, postremo *sim*.

40) Male futurum positum puto a Fest. v. *Nec*.... *ut et in XII est: ast ei custos nec escit item: si adorat furto, quod nec manifestum erit*. Hic operte futuro non est locus; nam furto adorare non possum, nisi quod manifestum aut nec manifestum iam est, non quod *erit*. Accedit, quod futurum Xvirûm aetate fingebatur verbo inchoativo *esco, escis, escit*, (plane ut *senesco*, et ut nos *ich werde seyn, ich werde alt*) nec verisimile est, duplici futuri forma Decemviros usos esse. Ceterum et in priore lege ipse codex rectius habere videtur *custos nec esit*, pro quo Ursinus intrusit *escit*. Unum tantum exstat certum exemplum futuri *escit* ex XII in illo; *si morbus aevitasve vitium escit* (Gell. 20, 1). Exemplum futuri *eso, esis, esit* equidem ex XII tabulis non novi. Sed neque aliunde; nam quod ex carmine Saliorum afferunt, id mihi plus quam dubium videtur, nec prius admittendum, quam etiam quae ibi vicina sunt literis *eso*, explicuerint. — Haec et quae in antecedenti nota leguntur, scripseram, cum ecce munus mihi gratissimum offertur clarissimi Hugonis, praeceptoris mei nunquam non colendi, Civilist. Magaz. Vol. VI. Fasc. 4. cuius p. 420—437. O. Müller de ESCIT cognatisque verbi *esse* formis, quae in XII reperiuntur, doctissime, ut solet, disputavit. Quicum consentire, ut grave in talibus rebus veritatis argumentum duco, ita do-

His de verbis praemissis, quoad rem sciendum est, veteres quotannis post putatam vineam etiam pedaturam retractare solitos esse, quo in negotio quicquid tigni adminiculandae iugandaeque vineae inservientis vitium contraxerat, eximebatur, modice vitiosum, ut emendaretur, prorsus inutile factum, ut in vicem eius aliud idoneum reponeretur. Huius rei fidem facit Columella de re rust. 4, 25. *Haec eorumque similia pedamenta post putationem retractanda sunt, partesque eorum putres dedolandae acuendaeque; atque alia convertenda, quae proceritatem habent: alia submovenda, quae vel cariosa vel iusto breviora sunt, eorumque in vicem idonea reponenda, iacentia statuenda, declinata cor-*

---

leo, quod quibus in rebus ab eo me dissentire video, ne nunc quidem, ut a sententia mea discedam, impetrare a me possum. Nam cum amicus, sola codicum auctoritate permotus, *erit* et *eruat*, quibus locis ea ex XII referuntur, servare nos iubet, tanquam ab ipsis Decemviris scripta, et omnino r pro s post iam eorum aetate suevisse existimat, reputasse mihi non videtur, quod qui frusta legum decemviralium nobis servarunt, ea sine dubio non ex ipsis XII tabulis in foro propositis (quamquam eae ipsae post Gallicum incendium restitutae quoad scribendi rationem aliquantum a primo exemplari declinaverint) sed ex libris ICtorum, primum, ut opinor, ex S. Aelii tripertitis iuris civilis, et ita quoque non parum immutata transcripserunt, qui cum libris suis non antiquitatis studiis, sed usui forensi inservire vellent, perinde suae aetatis scribendi ratione usi sunt, atque v. gr. specimum Saxonicum vel Lutheri orationes sacrae post ad sui temporis sermonem a librariis et editoribus accommodatae sunt, aliqua tantum antiquitatis quasi rubigine servata. Compara enim, quaeso, frusta illic cum inscriptione columnae Duilianae et sepulcri Scipionis vel cum SC. de Bacchanalibus facta, multo in his vetustiorem scribendi rationem, quam in legum XII tabularum adeoque regiarum (nam de his idem fere dicendum) reliquiis invenies, velut *ai* pro *ae*, *o* pro *u*, *d* finale, *s* pro *ss* et alia. Quamobrem multo plus sententiae quam formae harum reliquiarum tot vicissitudines expertae tribuendum puto, nec minore iure *erit* ex XII relatum in *esit*, quam *aram*, *aere* aliaque ex legibus Numae (ex. gr. apud Fest. v. *Opima*) in *asam*, *aese*, mutare licet. *R* enim pro *S* publice scribi initio demum seculi quinti (cf. Cic. ad fam. 9, 21) coeptum esse, generaliter Pomponius L. 2. § 46. D. de O. I. (1, 2) refert, nominum Valesiorum et Fusiorum tantum exemplo utens, ne quis tam claros in historia viros alios esse atque Valerios et Furios crederet (cf. Liv. 3, 4. 8. et Schneider. Gramm. d. lat. Sprache. Tom. I. p. 342). Neque assentior Müllero, *escit* ubicunque mea sententia *est* (esit) scribendum est, iam revocanti: nisi quod in illis Festi v. Nec.... *Ast ei custos nec escit*, ubi Böckingium *escit* in ipso codice reperisse Müllerus refert, incerta horum verborum iunctione et sententia, codicis auctoritati interim standum arbitror.

rigenda. Eodem spectant haec Pliniana H. N. 17, 35 (21) § 10. *Pedamenta optima, quae diximus, aut ridicae e robore oleaque: aut, si non sint, pali e iunipero, cupresso, laburno, sabuco. Reliquorum generum sudes omnibus annis reciduntur. Saluberrima in iugo arundo connexa fasciculis durat quinis annis.* His auctoribus edocti, vineae putationem pedaturae demum refectione finiri veteribus visam esse, non dubitabimus, Decemviros, vitium culturae prospicientes, postquam tigna h. e. pedamenta vineae iuncta *solvi* vetuerant, eo curae processisse, ut etiam pedamenta post anniversariam vineae putationem de more soluta *vindicari* nollent, nisi dempta essent h. e. eo animo exempta, non ut emendata reponerentur, sed ut quasi emeritis stipendiis exauctorarentur. Hic sensus efficietur, si ita in XII scriptum fuit: *Tignum iunctum aedificio vineave sei concapit, ne solvito; neque, vinea quandoque sarpta, donec dempta esunt,* [41] *tigna vindicito;* [42] hoc est: neque ubi vinea interdum putata est, donec dempta sunt tigna, ea vindicato. Hoc modo restituta lex sane omnibus nominibus ex asse satisfacit. Primum enim illud quam sapienter, quod tignum solvere tam aedificio quam vinea iunctum, solutum vindicare, tantum quod e vinea pro culturae lege aliquando eximeretur, noluerunt. Nam ne tignum iunctum solveretur, pariter id ad aedificia et vineas pertinebat, ne

---

41) Iam subtiles grammatici excutiant, in hac verborum coniunctione utrum *dempta sunt,* an *dempta erunt* rectius dicatur. Ego animadverti, ubi, donec aliquid fiat, vetetur vel imperetur, donec cum perfecto futuro iungi solere, velut a Plauto Bacchid. IV, 4. v. 106. *Ne quoquam exsurgatis, donec a me erit signum datum.* Leg. Servil. Fragm. c. XIX Kl. *ad eum diem, donec solutum erit, apud forum palam ... [proscriptum propositumque habeto].* Attamen etiam solum perfectum invenitur. Colum. 12; 26. ... *coquas, donec ea aqua, quam adieceris, decocta sit.* Quicquid est, grammatica ratio saltem cogere non videtur, ut *dempta esunt* pro perfecto futuro non habeamus. Quare hoc loco male explicitae priscae formae Festum incusare nolo.

42) Possis etiam tentare: *ne solvito, quandoque* (h. e. et quando sc. vinea est) *sarpta, donec dempta esunt tigna, ne vindicito.* Hoc tamen durius, eoque minus commendabile, quod ex altera ratione *quandoque* acceptum pro interdum ad anniversariam illam putationem magis convenit. Omnino certa lectio, priusquam Festus exactius ad codices MSS. expressus fuerit, praestari non poterit.

vel urbs ruinis deformaretur, vel vinearum pedatura foedaretur; ne vero tignum ad tempus solutum vindicaretur, id tantum vinearum cultura exigebat; aedificiis enim, quae in perpetuam formam erigimus, tigna non fere ad tempus eximuntur ita, ut reponantur, sed si quod putruit vel alias eviluit, id ut prorsus dematur sanaque materia commutetur, et cura boni patrisfamilias requirit et publice interest. Hic igitur cavere, ne tignum refectionis causa solutum vindicaretur, id vero urbi non profuisset sed nocuisset. At vinearum tigna quotannis evelli et, quae idonea sint, tantum emendata reponi, ipsa diligentis vinitoris cultura iubet: neque tam deformatio vineae, quae futura sit alieno tigno exempto, quam, ut Ulpianus ait, culturae turbatio, hoc est, quod, necopinato vinea iusto numero pedamentorum fraudata, non habeat vinitor statim, quo lacunam commode repleat, in causa fuit, ut Decemviri etiam de tigno vinea iuncto caverent; [43]) haec vero ratio non minus valet in tigno iuncto, quam, putata vite, ad tempus exempto. — Deinde etiam iuris callidos et in verbis diligentes se exhibuerunt Decemviri, cum iunctum tignum tantummodo solvere, non etiam vindicare, aliquamdiu solutum vero, ut reponatur, vindicare prohiberent. Nam quoad tignum iunctum manet, ipsa natura vindicari nequit, et ne id vindicaretur, non modo otiose sed etiam absurde cautum fuisset. Ubi vero solutum est, illico ius vindicationis redintegratur; sive ut demeretur, sive ut reponeretur, solutum fuerit: hic igitur ut, donec demptum esset, ne vindicaretur, cavendum erat. Sed etiam accommodate ad rem in priore ca-

---

43) Constat ex Varrone de re rust. 1,7. § 9. Catonem, cum gradatim novem discriminibus alium alio agrum meliorem esse diceret, ei primum locum assignasse, ubi vineae possint esse bono vino et multo; et hinc illa Decemviris vinearum cura. At *contra vineam sunt*, inquit Varr. ibid. c.8. init., *qui putent sumptu fructum devorare*, idque potissimum, ut statim subiicit, propter pedamentorum impendium. Denique ait: *haec ubi domo nascuntur, vinea non metuit sumptum; ubi multa ex propinqua villa*, (fortasse leg. *silva*) *non valde*. Igitur si nec domo nec ex propinqua silva subministrabantur, sed e longinquo comparanda erant, difficile vincebat fructus operam et sumptum. Cum igitur lex XII maxime eos spectaret vinitores, quibus suus fundus materiam pedaturae non suppeditabat, tanto magis cavendum erat, ne parte sudium repente privati, quos nisi ingenti pretio illico reparare non possent, vineam iam vere sumptu fructum devoraturam omnino deserere cogerentur.

pite, quod potissimum aedes respicit, tignum, in posteriore, quod ad solam vineam pertinet, tigna dixere; nam in vineis plerumque non unum tignum ut alienum deprehendetur, maxime in ridicis, quae scisso uno robore plures fiunt. Postremo nunc demum intelligitur, quam ob rem tam diverse ICti sententiam huius legis conceperint. **Gaius** L. 7. § 10. D. de acq. rer. dom. et **Paulus** L. 6. D. ad exhib. et L. 98. in fin. D. de solutt., dum solius solutionis prohibitae mentionem iniiciunt, presse ad verba legem retulerunt; sed etiam verum est, quod ait **Paulus** L. 98. cit. legem XII tabularum *scire*, tignum aedibus iunctum vindicari posse, h. e. non ita domino suo perisse, ut nunquam ab eo peti possit.[44]) Cum

44) Ut cavere, permittere, iubere, vetare et quae sunt similia, vulgo dicuntur leges, quos **Cicero** magistratus quosdam mutos vocavit, ita de his, quae magis in sententia ac mente legislatoris, quam in verbis posita sunt, legem scire, putare, videre et alia haud raro dici invenias, in quam rem dudum viri docti recte laudaverunt **Cic.** de rep. 4, 8. (ex **Non.** v. *Jurgium*), **Quintilian.** Declam. 310., **Ulp.** 1, 12. (ubi vid. **Schulting.**), **Modestin.** L. 25. D. de stat. lib. (40, 7.) Novell. 38. praef. § 3. Idque non intellexere, qui pro *scit* apud **Ponium** *sciscit* scribere voluerunt. Quod vero in locis illis etiam posui **Ulp.** 1, 12. *ideo sine consilio manumissum* **Caesaris** *servum manere putat;* id feci, haud nescius, haec verba nuper post inanes aliorum curas a viro doctissimo C. A. de **Vangerow** über die Latini Iuniani p. 24—35. **Ulpiano** abiudicata esse. Equidem enim ea genuina puto, modo pro vitioso **Caesaris** restituatur *causa* $\overline{p}$ $\overline{i}$ $\overline{c}$, h. e. *causa probata, iure civili.* *E* et *U*, *R* et *P*, *S* et *C* omnes frequenter commutari, constat. Nec mirum, quod librarius, tot notis perturbatus, simile sibique notum vocabulum effinxit. Notam C. P. etiam **Valerius Probus** inepte interpretatur *civis publicus*. Est enim meo iudicio: *causa probata*, (licet in monumentis lapidariis etiam: *clarissimus puer)* et inde fortasse etiam *CR. C. P.* *Civis Romanus causa probata*, (quod ae. Latini, liberorum iure cives Romani facti, nomini suo apponebant) licet **Magno** explicet: *cuius rei causa promittis*. Sententia efficitur hac lectione aptissima: eo, quod lex caverat; ut servus minor XXX annorum vindicta manumissus nisi apud consilium causa probata esset, civis Romanus non fieret, tacite significaverat, sine consilio licet causa probata manumissum civem Rom. non fieri, h. e. iure civili servum manere. Et recte hoc **Ulpianus** adiecit, ne quis in sola causa probando novum ius legis Aeliae Sentiae positum, consiliique mentionem tantum, quod id plerunque Praetores adhibere solebant, factam esse, putaret. Sed etiam dicendum erat, manumissum *iure civili* servum manere; nam cum aliter manumissum civem Rom. tantum, non liberum fieri lex vetuisset, consequens erat, ut, cum dominus voluntatem suam significasset, manumissus iure **Praetorio** in libertate moraretur. Quid igitur, si nec causa probata servus manumissus erat? Idem scilicet futurum erat; sed hoc nemo non videbat, ideoque id spe-

enim statim postea de tignis, vinea quandoque putata, donec dempta sint, non vindicandis Decemviri expresse cavent, tignum quandoque exemptum, nisi id specialiter prohibeatur, vindicari posse sibi videri, tacite significant. Quod vero idem Paulus L. 23. § 6. D. de R. V. scribit: *Tignum alienum aedibus iunctum nec vindicari potest propter legem XII tabularum, nec eo nomine ad exhibendum agi, nisi adversus eum, qui sciens alienum iunxit aedibus;* verba illa *propter legem XII tabularum* ea de causa iam post *nec vindicari potest*, neque, quod exspectaveris, post *ad exhibendum agi* posuisse videtur, quod tempore XII tabularum actio ad exhibendum nondum accommodabatur, et si quis tunc aliam rem, velut rotam alterius vehiculo aptatam, vindicare vellet, ipse eam arbitro Praetore vindicandi causa tollebat, ut hac ratione prohibita tigni solutione etiam vindicatio prohibita esse dici posset. Accedit, quod in lege verba illa *neque vindicito* ita ad superiora erant adiuncta, ut origine sententiae totius repetita, etiam tignum aedificio iunctum se *vindicationis* causa solvi nolle, Decemviri significasse viderentur. Denique in Ulpiani verbis L. 1. pr. D. de tign. iunct. *Lex XII tabularum neque solvere permittit tignum furtivum aedibus vel vineis iunctum neque vindicare,* ante omnia haud praetermittendum est, quod is solus h. l. praeter aedium vinearum quoque rationem ac mentionem habuit, itemque solus XII tabulas tigni tam solutionem quam vindicationem vetuisse auctor est; nam ceteri ut de solo tigno aedibus iuncto ita etiam de sola solutione (vel vindicatione) verba faciunt: unde ad opinandum inducimur, Ulpianum de solvendo tigno aedibus iuncto et de vindicando tigno vinea iuncto cogitasse. Sed cum statim subiicit: *quod providenter lex effecit: ne vel aedificia sub hoc praetextu diruantur, vel vinearum cultura turbetur,* iam manifeste superiora illa ea mente dixisse deprehenditur, ut *neque solvere* ad tignum iunctum aedificio vineaeve, *neque vindicare* ad tignum e vinea putata ad tempus exemptum referret.

---

cialiter animadvertere Ulpianus operae pretium non duxit. Omnes enim minores XXX annorum servos non apud consilium causa probata manumissos liberos et ex lege Iunia Latinos effectos esse, egregie de Vangerow demonstravit.

Si enim de tigno ex aedificio vineave non eximendo sensisset, et antea verba *neque vindicare* rectius omisisset et postea: *ne vel aedificia sub hoc praetextu diruantur, vel pedatura vinearum foedetur* aptius dixisset.

Unde quaeri potest, anne quod ex Festi verbis eruimus caput, id hodieque observandum sit? Et puto observandum. Plane apertis verbis haec lex in Digestis perscripta non legitur, eaque de causa adhuc ignorata fuit. Sed neque omissa esse dici potest. Primum enim ex L. 1. pr. D. de tign. iunct. hoc constat, de tigno vinea iuncto neque ad exhibendum neque petitorio iudicio agi posse; deinde si verba illa *neque vindicare* ea, qua par est, subtilitate ponderamus, iam demonstratum est, non ea pertinere posse ad tignum iunctum, quamdiu iunctum est, sed latiori quodam sensu ad id, quod, licet proprie iunctum non sit, tamen eodem loco habendum sit. [45]) Atqui tignum plane demptum, cum id iuncto prorsus contrarium sit, in iuncti causa esse non potest. Quid ergo relinquitur, quam ut tale intelligamus, quod tantum ad tempus reficiendi causa solutum est? Quod cum ea mente, ut reponatur, aliquamdiu exemptum sit, sane perinde animo in iunctione retineri dici potest, atque saltuum hibernorum et aestivorum possessionem, licet neque ipsi eos ingrediamur, neque servum neque colonum ibi habeamus, solo animo retineri constat. Sed ne opus quidem est, ut hac similitudine utamur. Etenim in corporibus συνημμένοις plane diversum ius esse eius dissolutionis, quae fit reficiendi gratia, eiusque, quae in perpetuum fit, illic corpus conuexum quodammodo manere, hic exstinctum esse, docemur a Paulo L. 98. § ult. D. de solutt. . . . *Nec simili argumento usus est, si navem, quam tu promisisti, dominus dissolverit, deinde iisdem tabulis compegerit, teneri te: hic enim eadem navis est, quam te daturum spopondisti: ut videatur magis obligatio cessare, quam exstincta esse. Homini autem manumisso simile fiet, si ea mente dissolutam esse navem posueris, ut in alios usus converterentur tabulae, deinde*

---

45) Observandum est, etiam Decemviros, ubi vindicationem huius tigni prohibent, non soluti tigni mentionem iniicere, sed tantum, vinea quandoque sarpta, ea tigna, de quibus antea caverant, h. e. tigna iuncta vineae, vindicari vetare; ut et ipsi haec tigna magis iunctorum quam solutorum numero habuisse deprehendantur.

mutato consilio easdem compositas: alia enim videbitur esse posterior navis, sicut ille alius homo est. Item L. 83. § 5. D. de V. O. (45,1) . . . *Et navis si hac mente resoluta est, ut in alium usum tabulae destinarentur, licet mutato consilio perficiatur, tamen et perempta prior navis et haec alia dicenda est: sed si reficiendae navis causa omnes tabulae refixae sint, nondum intercidisse navis videtur: et compositis rursus eadem esse incipit, sicuti de aedibus deposita tigna ea mente, ut reponantur, aedium sunt: sed si usque ad aream deposita sit, licet eadem materia restituatur, alia erit.* Quod hic Paulus ait, tigna de aedificio, ut reponantur, deposita, tamen aedium esse, idem tanto magis de vinearum pedatura dicendum est. Recte igitur Ulpianus, licet tantum tigni aedibus vineisve iuncti mentionem fecerit, id neque solvere neque vindicare legem permisisse dixit, illud ad tignum, quamdiu corporaliter iunctum manet, hoc ad tignum sensu latiori iunctum, hoc est, culturae ergo quandoque exemptum (quod solum in vineis contingit,) referens. Unde apparet, sola exactae interpretationis ope nos eo pervenire, ut etiam nostro iure pedamenti culturae causa aliquando exempti vindicatio nulla esse videatur. Neque quo minus hoc iure utamur, id obesse potest, quod in plerisque Germaniae vineis pali non putationis tempore, sed sub hiemem, ubi vites pro coeli duritie terra conduntur, evelli et donec verno tempore reponantur, in fossa defodi solent. Nam nec de putationis tempore quicquam in corpore iuris nostri legimus, nec diversitas culturae iuris rationem mutare potest.

Itaque ratum, firmum fixumque hoc esto, legis, quam tractavimus, XII tabularum, tam posteriorem quam priorem partem non solum antiquitati, sed etiam ipsi huic rerum, in quibus versamur, usui restitutam videri. En igitur quasi summulam totius disputationis nostrae ipsam legem accipe talem, qualem eam restituere conati sumus:

Tignum iunctum aedibus vineave si concapit, ne solvito; neque, vinea sarpta quandoque, donec dempta erunt, tigna vindicito; ast, qui iunxit, duplione damnum decidito.

Absoluta commentatione, quam, in secularis honorem festi TIBI, GEORGIA AVGVSTA, propediem bonisque auspiciis agendi, conscriptam epistolae suae gratulatoriae comitem dare Rectori Senatuique nostro placuit, impetrare a me non possum, quin muneris mihi honorifice demandati occasionem captans, publicae huic etiam privatam meam gratulationem adiungam. Hoc enim ipse Senatus, mihi potissimum, tanquam civi quondam TVO, hac scribendi provincia decreta, quum videtur permisisse, tum beneficiorum abs TE in me collatorum recordatio idem a me poscit atque flagitat. In literarum namque, quibus me dedi, studiis si quid profeci (qualecunque id est) eius initia omnia primosque progressus TIBI me debere praedico, quae non solum tironem me numeris TVIS adscripsisti, disciplina erudiisti, literarum opibus adiuvisti, praeceptorum gravissimorum doctrina et exemplo aluisti, commilitonum suavissimorum tum honesto consortio hilarasti tum aemulatione studiorum excitavisti, sed etiam paulo provectum honoribus auxisti, vix dimissum in sinum TVVM recepisti et ut ipse docere discerem, scholas privatas aperire sivisti, ac tum demum, cum meis viribus stare posse viderer, ex cura TVA atque tutela plane dimisisti. — Sed si, quae de singulis meruisti, privatim commemorare concessum est, quid ego TE, GEORGIA AVGVSTA, meo tantum nomine laudo? Circumspicio animo, ne ultra, quam decet, evager, in sola Silesia; neque in ulla ferme provinciae nostrae parte non occurrunt senes, viri, iuvenes omnium ordinum, iisdem vel certe similibus beneficiis, qualibus ego, TIBI obstricti, quos omnes, si quid ipsorum nomine hoc die TVO in honorem TVVM dictum vel factum fuerit, id ratum habituros esse certissime scio. Itaque nos cuncti, cum grates TIBI meritas referre nequeamus, saltem habemus et quod hoc praesertim die decet, palam dicimus: ipsam hanc laetitiam TVAM secularem TIBI congratulamur et de salute TVA perpetua vota pia mente concipimus, quae ut rata sint, faxit Deus Optimus Maximus!